

DE  
TRAGICORUM GRAECORUM  
TROPIS.

PARTIC. II.

*—græcæ—*

(De metaphoris ex verbis nauticis et  
ex venaticis petitis.)

disputavit

Gustavus Radtke,  
Dr. phil.



UNIVERSITÄT DÜSSELDORF

LIBRARY

1911

UNIVERSITÄT DÜSSELDORF

LIBRARY

1911

UNIVERSITÄT DÜSSELDORF

LIBRARY



**E**x quo Reisigius in antiquitatis studia novam quandam partem grammaticae induxit semasiologiam, eumque secutus est Haasius, qui quae magister ingeniose invenerat atque paucis lineamentis adumbraverat, ea quo est acri mentis iudicio et qua copiosa grammaticae doctrina, accuratius et planius definiivit, distinxit, in artis perpetuis praeceptis ordinatae modum et formam redegit finesque hujus disciplinae praeclare propagavit <sup>1)</sup>, inde in vocabulorum significationes mutatas vel in tropos diligentius inquiri coeptum est. Quamquam enim jam Scaliger, tum Valckenaerius, ante haec perpauca decennia Lobeckius et Buttmannius, quum de verborum originatione et de nativis significationibus graviter et copiose disputarent, de etymologice bene meruerunt, tamen ut his temporibus majores semasiologia faceret progressus, grammatica comparativa quam vocant propinquitate sanscritarum linguarum detecta effecit. Jam vero ad veterem grammaticam et ad grammaticam comparativam tertia quaedam et nova disciplina accessit, quae in explananda nominum primigeniorum enodatione et in explicandis verborum significationum mutationibus vel tropis suo jure multum versatur, universa linguarum et gentium psychologia; quamquam verum si quaerimus, haec disciplina sua ipsius natura non tam apta est, qua illae res in lucem proferantur, quam idonea, qua ratio et via indicentur illas res in lucem a grammaticis prolatas probe inter se conectendi, ita ut singulae res conjunctae inter se et explicent et explicentur. Verum nullo modo negari potest, hac disciplina exorta majus denuo studium tropos linguarum perspiciendi et pernoscendi extitisse<sup>2)</sup>. Et habet hoc genus quaestionum non modo ali-

1) Dolendum certe est, quod Haasius quae quum de grammatica Latina, tum de semasiologia ex multis jam annis in hac potissimum disciplina consumtis invenit et praeclare composuit et multis studiis probata habet, nondum publici juris fecit, quae non solum ii quibus contigit, ut ejus scholis interessent, sed omnes homines docti, qui quidem antiquitatis cognitione doctrinaeque delectantur, penitus cognoscerent.

2) Qui de tropis scriptorum singulorum, quod sciam, disputaverunt, hi sunt: Mützell, de translationum apud Curtium usu. Berol. 1842. Hoppe, de tragg. graecorum translationibus. Berol. 1859. Düntzer, Zu den homerischen Gleichnissen, Neue Jahrbücher für Phil. und Pädag. Bb. 93. Heft 7. Radtke, de tropis apud tragg. graecos. Berol. 1865. Accedit Toblerus, qui de universa troporum ratione disputavit (Zeitschrift für Völkerpsychologie, Bb. 1. p. 349). Qui quod aliam tropos dividendi rationem iniiit quam antiqui grammatici, mihi quidem rem acu, ut ajunt, tetigisse non videtur. Verum enim vero ..."

quantum in se delectationis sed si cujus linguae accuratius tropos inspicimus, haud mediocriter adjuvat, ut quae hujus gentis natura, quae opiniones, qui mores in vigore fuerint, quas res in deliciis habuerint, rectius cognoscamus. Quod quo jure dicatur, in dissertatione inaugurali, quam de tropis apud tragicos Graecos scripsimus, p. 25. comprobasse nobis videtur. Etenim tria metaphorarum genera in tragoediis Graecis latissime patere demonstravimus: agriculturae, navigationis, venationis. Quoniam de agriculturae translationibus similitudinibusque jam in illo libello disputavimus, quum his studiis hodie multi delectari iisque operam navare videantur, hac occasione oblata navigationis et venationis metaphoras et similitudines quae in tragoediis Graecis inveniuntur, in medium proferre nobis liceat. Quas collegisse me juvat; alteri collectas legere haud injucundum fore confido.

Quamquam apud omnes fere gentes, uti apud nostrates, vocabulorum nauticorum translationes inveniuntur permultae, tamen apud Graecos, maxime apud tragicos, horum tropi multo latius patere, quis est quem praetereat! Nec mirum, si quidem vitae, terrae, morum illius gentis rationem habemus. Quippe, tragici enim genere erant Athenienses,

veterum partitio plus habet in recessu quam fronte promittit. Nam non solum ex psychologia, quo modo homines voces atque universam linguae rationem invenerint, optime cognoscitur, sed etiam quae consuetudo fuerit troporum, intelligitur. Nam ut ad linguae primordia recedamus, postquam aliqua copia verborum parata est, quum primo linguae vis novas vocum radices, deinde etiam nova vocabula formandi sensim interiret, tamen homines, quippe qui in dies novas res cognoscere nondum desinerent, quas significare vellent, nihil mirum, quod et de iis radicibus quas jam habebant, novas duxerunt voces, et quae verba jam ita formaverant, ut suas haberent significationes, ea ad significationes translatas adhibuerunt. Qua quidem in re hae regulae vel analogiae inveniuntur: Quomodo idearum associatio quae vocatur, qua res inter se in hominis animo conectuntur, triplex est, [quum aut loci affinitate aut temporis i. e. causarum nexu aut rerum similitudine propinqua sint, ita significationum ex propriis domiciliis migrantium eadem triplex est ratio. Itaque primum quidem sive fines alterius rei alteram ita complectuntur, ut altera res sit alterius pars, sive altera juxta alteram est, ut utriusque fines sese quasi excipiant, altera alteri significationi esse potest. Quae ratio maxime in partium corporis nominibus occurrit. Haec est, quam antiqui vocant, intellectio. (Conferri potest Latinorum vox genae.) Deinde quae res temporis ordine inter se ita conjunctae sunt, ut altera alterius causa vel origo sit, inter se nomina mutantur per eum tropum, quem antiqui vocant metonymiam. (Cui rei Latinorum vox linguae exemplo est.) Denique longe creberrimi tropi ex rerum similitudinibus sunt haustae, qui appellantur metaphorae. Itaque quum grammaticorum antiquorum partitio et tropis ipsis et rationi troporum aptissime respondeat equidem non video, cur ab ea sit recedendum. Accedit, quod Tobleri partitio tam multiplex est, ut haud ita facile quis omnia quae constituit genera uno conspectu comprehendat. Si quis plura de hac re desideret, legat, quaeso, quae dissertatione, quam de tropis tragicorum Graecorum scripsimus, uberius exposuimus p. 11 squ.

apud quos, maritimorum Graecorum principes, has translationes maximo in vigore fuisse etiam in sermonis consuetudine non miremur. Sed quid, quod poetae — de quotidiano enim sermone parum constat — etiam earum Graeciae gentium, quae quum mediam Graeciam habitarent aliquantulum spatii a mari aberant, ut si quis, ut ait vetus quidam poeta, antiquissimis temporibus remum iis attulisset, Neptuni illud insigne quoddam tunc habuissent palam, Cereris insigne, harum igitur gentium poetas inde ab Homero his metaphoris multum floruisse, facile comprobari potest. Sed quoniam haec disputatio in tragicis versatur, ceteros poetas nos missos facere par est. Unum Pindari versum laudo, qui quum similitudinem nobis plane insolitam praebeat, hoc troporum genus quam frequens fuerit optime testatur: Isth. 2, 40. οὐδέ ποτε ξενίαν οὖρος ἐμπνεύσας ὑπέστειλ' ἰστίον ἀμφὶ τράπεζαν. ἀλλ' ἐπέρα ποτὶ μὲν Φᾶσιν Θερσίαις, ἐν δὲ χειμῶνι πλέων Νείλου πρὸς Ἀτιάς. De quo versu vide Böckhii explicationem.

Ut ex simplicissimis similitudinibus initium disputandi capiamus, primo quidem navigationis imago ad quodvis aliud iter significandum atque illustrandum adhibetur. Uti verbum *ναυστολέω* de itinere terrestri dictum invenitur<sup>3)</sup>: Eur. Med. 677. σὺ δ' ὡς τί χερῶν τήνδε ναυστολεῖς χθόνα. Soph. frg. Andr. II ἔλποισιν ἢ κίμβαισι ναυστολεῖν χθόνα. Iff. Hipp. 36. Suppl. 474. Cycl. 106. Similiter *πλείσιμος* adjectivum significat facilitatem itineris terrestris in O. C. v. 669, quo versu longum quoddam iter, quamquam terra, non mari faciendum est, hoc modo illustratur: φανήσεται μακρὸν τὸ δεῦρο πέλαιος οὐδὲ πλώσιμον. Sed non solum ad itinera declaranda haec comparatio usurpatur, verum ad quemvis cursum. Uti Hyllus in Tr. v. 815. de Dejanira decedente εἴτ' ἀφέρπειν οὖρος ἐρπούση καλὸς ἀντὴ γένοιτ' ἄπωθεν ὀφθαλμῶν ἐμῶν. In Ajacis autem v. 889 οὖριος δρόμος ad viam felicem declarandam adhibetur. Inde fit, ut οὖριος omnino res bene procedentes significet, uti Latinorum adjectivum „secundus.“ Choeph. 812. πρᾶξις οὖρια. Deinde uti verba *πορεύεσθαι* et *ὀχεῖσθαι* saepius et ad vitam et ad animum ita referuntur, ut alicujus rationem agendi et sentiendi indicent (eff. O. R. 884. Or. 68.) ita verba navigandi per duplicem metaphoram<sup>4)</sup> eadem ratione qua verba eundi in sententiam verborum agendi aliquoties dicta sunt. Ant. 190. ἐπὶ τῆς πατρίδος ὀρθῆς πλέοντες τοὺς φίλους ποιούμεθα. Soph. El. 325. ἐν κακοῖς μοι πλεῖν ὀφειμένη δοκεῖ. Eur. fr. Aeol. 19. D, διὰ πόνων ἐναυστόλουν. Eadem imagine fit, ut *σαλεύω* accipiat notionem periculose vivendi et agendi. Soph. El. 1072. πρόδοτος δὲ

3) Quem usum haud scio an cavilietur Aristophanes in Av. v. 1229. φράσον δὲ τοῖ μοι τὸ πτέρυγε ποῖ ναυστολεῖς;

4) De duplici metaphora vide, quae in dissertatione nostra quam supra commemoravimus p. 21. disputavimus. Non recte Passovius hunc usum intra fines angustiores compellit, quum dicit, eum ad poetas pertinere Graecitatis jam inferioris.

μόνα σαλεύει Ἡλέκτρα. Rhés. 248. Vocabula *σύμπλοος* et *συνέμπορος* significant socium fortunae, periculi, consilii: I. T. 603, *ὁ ναυστολῶν γὰρ εἰμ' ἐγὼ τὰς συμφορὰς, οὗτος δὲ συμπλεῖ τῶν ἐμῶν μόχθων χάριν.* Ant. 539. Choeph. 207. 733. Uti ex navigando, ita ex impulsu litoris metaphoraeductae sunt. Aesch. Suppl. 440. *δεῦρο δ' ἐξοκέλλεται ἢ τοῖσιν ἢ τοῖς πόλεμον αἰρεσθαι μέγαν πᾶς ἔστ' ἀνάγκη καὶ γεγύμφωται σκάφος στρέλλαισι ναυτικαῖσιν ὡς προσηγμένον.* Quae translatio in hanc fere sententiam intellegenda est: res usque eo perducta est, ut aut diis aut Aegyptis bellum indicendum sit.<sup>5)</sup> Jam vero ad eam venimus imaginem, quam pergratam fuisse Atheniensibus facile conjici potest. Quis enim qui semel navigationi se commisit, oblivisci potest, quam vehementi desiderio deflagratus portum expectaverit, quo laeto animo ex alto in portum pervectus sit? Sin autem quis ipse hanc laetitiam nondum expertus sit, is in memoriam revocet quaeso, quo gaudio Atheniensium nautae affecti esse dicantur, quum primum Salami superata Palladis illius summam cuspidem conspicerent. Hinc illa imago in Aesch. Ag. 870 ubi Clytaemnestra sibi tam gratum esse adventum Agamemnonis simulat, quam gratus sit viatori fons vel nautis portus. Tum portus imago ad quodvis receptaculum transfertur: *ἐταιρίας λιμῆν* (Aesch. Pers. 249. Soph. Aj. 683.) *πλοῦτον λιμῆν* (Or. 1077.), *Ἰδῆς πάγκοινος λιμῆν.* (Soph. Elect. 137. Ant. 1285.) Ne passiva quidem vis quaedam ab hac voce abest: Aesch. Suppl. 470 *οὐδαμοῦ λιμῆν κακῶν.* Difficillimis illis locis Ant. 980 et O. R. 420. eodem vocabulo templum significari haruspici Boeckhius veri simillimum reddidit. Neque minus difficilis est intellectu ratio hujus vocabuli translati in O. R. 1180. *ῥ' (i. e. Oedipo) μέγας λιμῆν αὐτὸς ἤρκεσε παιδὶ καὶ πατρὶ θαλαμηπόλῳ πεσεῖν,* quamquam quid Sophocles sibi velit facile unusquisque sentit. Gravem ironiam in se habet O. R. 423, ubi infaustum Oedipi conubium cum navigatione comparatur: *ὅταν καταίσθῃ τὸν ὑμέναιον, ὃν δόμος ἄνορμον εἰς ἐπλευσας εὐπλοίας τυχῶν* unum adjectivum *ἄνορμος* declarat, portum ad quem Oedipus pervenerit, esse ejusmodi, ut ab illo attingi non debuerit. Itaque hujus versus sententia ad idem redit, quod, ut usitata illa tragicorum locutione utamur, significat *εἰς ὄρμον ἄνορμον εἰς ἐπλευσας.* Ad imaginem portus spectat etiam O. C. v. 812., ubi Oedipus ad Creontem, qui Thebas eum reverti jubet: *ἄπελθ', ἐρῶ γὰρ καὶ πρὸ τῶνδε, μηδέ με φύλασ' ἐφορμῶν, ἔνθα χρὴ ναίειν ἐμέ.* Cujus loci pulchritudo in hoc posita est, quod Oedipus Athenis se invenisse confitetur quasi portum quietis, quod receptaculum *ἐφορμῶν* dicitur Creon.<sup>6)</sup> Praeter portum etiam *γαλήνη* quietem jucundam significat: Soph. El. 887, Phil. 828. — Quum labores omnes et pericula nautarum tum maxime fluctus atque

5) Perverse Donnerus hunc locum interpretatur.

6) Vox *ὄρμον* metaphoricè dicta est etiam in Anthol. 7, 388. b et a Bione apud Diog. L. 4, 43.

tempestates indicant in universum res adversas et angustias, deinde ipsam mortem et interitum: Hanc in sententiam *κῆμα* dictum est Or. 340. Jon. 927. Hipp. 824. Aj. 351. O. T. 308. 1493. El. 723. Tr. 115. O. C. 1245. Eum. 525. Pers. 808. Sept. 740. tum *κλύδων*: Pers. 599. O. R. 1527. Soph. El. 723. Med. 362. deinde *κλυδώνιον*: Sept. 795. Choeph. 183. *κλύζω* Ag. 1182. Usitata periculi metaphora etiam maris vorago est: Aesch. Suppl. 470. Aj. 1084. Idem denique declaratur procellarum imagine: Choeph. 203. 1065. Quamquam *χειμών* etiam hiemem significat, tamen similitudinem a procellis nautas urgentibus ductam sentiri mihi persuadeo his locis: 1. Ant. 616. *δορός ἐν χειμῶνι*, quod esse ita dictum puto, ut pugnae impetus quodam modo cum fluctibus procella vehementissima jactatis comparentur, uti Sophoclium illud *κλύδων ἔριππος*?) significat procellam quandam curruum cum strage concurrentium, et uti Schillerus noster pugnam describit: Hierhin, dorthin schwankt die Seeflucht. 2., Phil. 1194. *οὔτοι νεμεσητόν, ἀλόοντα χειμερία λύπα καὶ παρὰ νοῦν θροοῖν*, ad quem versum schol. rectissime dicit: *χειμερία λύπα* esse *ταραχώδει πάθει*. 3. Ant. 387. *ταῖς σαῖς απειλαῖς, αἷς ἐχειμάσθην* et Hipp. 315. *ἄλλη δ' ἐν τύχη χειμάζομαι*. Sed sunt, quibus ambigua esse verbi *χειμάζεσθαι* imago videatur in Phil. 1060 *πολλὰ δὲ φωνῆς τῆς ἡμετέρας Ἑρμαῖον ὄρος παρέπεμψεν ἐμοὶ στόνον ἀντίτυπον χειμαζομένῳ*. Verbo *χειμάζεσθαι* hoc loco inesse significationem clamandi schol. monet. Et potest hanc in vim *χειμάζεσθαι* dici. Nam primo quidem si ex strepitu fluctuum procellis jactatorum translationes ad vocem humanam trahuntur, id quod verba *ρόθῳ* et *στένω* satis demonstrant, quidni fieri possit, ut ex procellis ipsis eadem imago ducatur? Accedit, quod nostro loco sonitus procellarum hominis doloribus vexati ejulatum haud inepte significare videntur. Quae quum ita sint, tamen duo me movent argumenta, ut contra schol. stare malim: alterum, quod lamentatio quidem Philoctetis jam verbis *φώνης στόνον ἀντίτυπον (παρέπεμψεν ὄρος)* satis declarata est, sed verbum desideratur, quo planius causa lamentationis indicetur, alterum, quod illud verbum, quum significationem vexandi perquam usitatissimam habuisse multi loci demonstrent, ut Athenienses audiverunt, multo magis propensi fuisse videntur, ut solitam illam significationem, praesertim quum hujus loci sententia aptissima esset, ei tribuerent. Sed mehercle perversa est quorundam hominum doctorum sententia, qui quum utra interpretatio praestabilior sit, secum constituere minus possint, utramque vim quasi duplicem significationem eidem verbo eodem loco inesse statuunt. Qui tam absurdi sunt in explicandis poetis, hi me quasi Harpocratem faciunt, neque habeo, quod cum his communicem.<sup>8)</sup> —

7) El. 723. conferatur etiam Euripidis Hec. 118, *κλύδων ἔριδος*.

8) Illa imago a scopulis petita, quae in nostro et in Latinorum sermone in quovis genere pe-

Accedit ad hanc periculorum et laborum dolorumque imaginem ut in omnibus omnium fere gentium linguis, ita in Graecis illa similitudo, quae inter mare fluctuosum et animum hominis commotum intercedit. Aesch. Cheoph. 184. Eum. 832.<sup>9)</sup> Sed paullo liberius Homerus dicit: *πολλὰ δέ οἱ κραδίη πόρφυρον*, imagine ex fluctuum jactatorum colore petita. Quum enim commotum mare sit *πορφυροειδές* (Aesch. Suppl. 530); primo quidem procellae mare purpurare dicuntur, uti in *Il.* ξ 16, tum quod animi motus cum maris fluctibus conferuntur, idem verbum ad animum excitatum illustrandum transfertur. Eadem imagine, qua Homerus, tragici usi sunt, quum verbum *καλχαίνω* ad animum commotum adhiberent. *Ant.* 20. *δηλοῖς γάρ τι καλχαίνουσ' ἔπος*, i. e. patet, perturbari te eo quod mihi dictura es. Sed dixerit fortasse quispiam, mirum sibi videri, quod homo *ἔπος καλχαίνειν* dicatur, non ipse *καλχαίνειν*. Attamen constructio ea de causa est conversa, quod notionem activam, i. e. agitandi atque volvendi aliquid in hoc verbum Sophocles inferre voluit. Similem constructionem accusativi habet *λάμπειν* cum activa vi positum: *Hel.* 1145. *δόλιον ἀστέρα λάμπας*. *Jon.* 83. *ἄρματα ἥλιος λάμπει* et *ζέω*: Aesch. *Prom.* 370. *τοιόνδε χόλον ἐξαναζέσει*.

Deinde nonnullae et ex gubernanda navi et ex instrumentis nauticis traductae extant metaphorae. *Aj.* 35. *κυβερνώμαι χειρὶ τὰ εἰσέπειτα*. *Or.* 795. *οἶαξ ποδός μοι*. *Ag.* 675. *ἔρειμοὶ πτερύχων*. *Or.* 607. *ἵπποστέλλω λόγῳ*. Remorum ictus et motus ob vehementiam cum quovis animi impetu comparantur: *I. T.* 299. *πίτυλος μανίας*. *Herc. fur.* 816. *πίτυλος φόβον*. *Ant.* 159. *τίνα μῆτιν ἐρέσσω;* Paulo insolentius in *Aj.* 251 *ἀπειλὰς ἐρέσσειν* dictum est, quam metaphoram ex navi remis mota (Graeci enim *ναῦν ἐρέσσειν* dicebant) esse translata[m] puto, ita ut inter locutiones *μῆτιν ἐρέσσειν* et *ἀπειλὰς ἐρέσσειν* aliqua dissimilitudo intercedat, in illa enim respicitur volutatio remorum, in hac navis vectura. Ex navi ad ancoras deligata ac funibus constricta similitudines a tragicis peti solitas esse, locus ille Aeschyleus a Cicerone Latine versus (*Tusc.* 2, 10) docet:

*Navem ut horrisono freto*

*Noctem paventes timidi adnectunt navitae,*

*Saturnius me sic infixit Jupiter.*

Et sunt aliae multae notissimae ancorae imagines. Quae quum navium quoddam fun-

niculorum illustrando creberrima est, in tragoedia Graeca quantum video non adhibita est, nisi hoc uno loco: *O. C.* 1240. *ὡς καὶ τόνδε κατ' ἄγκρας κυματογαγίς ἄται κλονέουσιν*. Atque hoc ipso loco imago periculi et miseriae magis indicatur verbo *κλονεῖν* quam locutione *κατ' ἄγκρας*. Graeci enim ex scopulis saxisque imaginem aut magnitudinis aut asperitatis et duritiae traxerunt, quem usum quum Valaekenaerius ad *Eur. Hipp.* 305 multis exemplis comprobet, nos hic praetermittere statuimus.

9) Catullus (65, 4) animum suum eadem similitudine adhibita fluctuantem vocat.



damentum sit, tralate indicat alicujus praesidium atque decus vel ornamentum. Soph. Phaed. fr. 9, 1. *παῖδες μηρὶ ἄγκυραι*. Hel. 277. Hec. 80. Choeph. 662. — Sequitur jam, ut sentinae similitudines percenseamus. Quae multis modis comparatur. Primum enim propter nequitiam atque foeditatem sentinae hac imagine ea significari possunt, quae turpia habentur, uti ait Pindarus in Pyth. 8, 12. *ἕβριν ἐν ἄντλῳ τιθέναι*. Eandem ob causam homines nequissimi hac tralatione declarantur<sup>10)</sup>, de quo usu vide Passovium sub voce *ἄντλον*. Tum quod sentina e navi ejicitur, ne navigationi sit impedimento, verbum *ἀνιλέω* de eo dicitur, quod quum alicui rei obsit removendum est. Or. 1642. *θανάτους ἔθρηκαν, ὡς ἀπαντλοῦεν χθονὸς ἕβρισμα θνητῶν ἀφθόρου πληρώματος*. Attamen etiam hoc fit, ut *ἀντλεῖν* significat nihil aliud nisi dissipare, ita ut altera pars imaginis, qua quod ejicitur, aut obnoxium aut certe inutile esse demonstratur, plane neglegatur. Soph. El. 1290. *πατρῶαν κιῆσιν Ἀγισθοῦ δόμων ἀντλεῖ*. Quem versum si quis ita interpretari mavult, ut *ἀντλεῖν* cum quadam ironia dictum sit, haud reluctor. Quarta denique ratio existit haec. Quum ii, qui sentinam ejiciunt, infimam partem et quasi extremam navem exhauriant, *ἀνιλεῖν* in ejus actionis vim transmigrat, qua aliquid ita perficitur, ut nihil perfectius cogitari possit. Eadem Latini erat similitudo in verbo exhauriendi, uti dicebant: aliquam rem discendo exhaurire. Sed quum Latini id verbum, cujus actio plane absolvitur, ad verbum exhauriendi addant, Graeci illud in verbo *ἀνιλεῖν* subaudiri volunt. Hipp. 1048. *ἀλλ' ἐκ πατρῶας φηγᾶς ἀλητεύων χθονός, ξένην ἐπ' αἶαν λυπρὸν ἀνιλήσεις βίον*. Pind. Pyth. 3, 62. *ἄντλει μηχανάν*. Facilius intellectu est prior locus, quoniam quod verbum subaudiendum est, ejus notio eadem est quae in objecto *βίον* inest. Aliter se habet Pindaricus locus, quum *ἀνιλέω* in se recipiat notionem discendi et pernoscenti, quae ex objecto haud ita manifesta elucet. Si *ἀντλεῖν μηχανάν* in sententiam: *μηχανᾶσθαι πᾶσαν τὴν μηχανήν* dictum esset, certe magis perspicua esse imaginis sententia videretur.<sup>11)</sup> Restat denique ut suburrae translationes commemoremus. Significat autem suburra quodvis genus onerum. Per euphemismum quendam Aeschylus (Suppl. 595) Jo ait *ἔρμα δῖον λαβοῦσαν*, neque est, quod Hartungio assentiamur, qui pro *ἔρμος* legendum esse *ἔρνος* i. e. germen conjecit. Oneris autem navi impositi imago aut in bonam partem vertitur aut in malam. Quum enim divitiae respiciantur, quae navis ferat, hac metaphora *ἕλβος* significatur, uti Aesch. Suppl. 444. *μέγ' ἐμπλήσας γόμον*. Sed etiam molestiam aliquam haec translatio ita indicat ut oneris significatio prematur, uti apud Sophoclem (Tr. 526) Dejanira Jolen sibi esse *φόρτον* dicit. —

10) Comparari potest Latinorum vocis vappae usus tropicus.

11) Quod *ἀντλία* per synecdochen apud Euripidem aliquoties significat mare, ad hanc disputationis partem non pertinet.

Jam vero superest, ut moneamus, maxime ad rempublicam illustrandam navis imaginem quum a tragicis<sup>12)</sup> tum omnino ab omnium gentium poetis et oratoribus adhibitam esse. Sed ut etiam hanc partem disputationis in eum gyrum, quem constituimus, compellamus, a tragicis exempla hujus imaginis conquirere liceat. Atque primo quidem tyranni vel reges a tragicis κυβερνήται aut προυνήται vocantur. O. R. 923. ὡς νῦν ὀκνοῦμεν πάντες ἐκπεπληγμένον κείνον βλέποντες ὡς κυβερνήτην νεῶς, i. e. nunc enim omnes solliciti sumus, quum perculsum et afflictatum illum videamus, qui navis, i. e. reipublicae, gubernator est. Eum. 16. *Λελθός τε χώρας ἡγεῖσθε προμνήτης ἄναξ.* cfr. Ant. 975. Sept. 651. Eur. Suppl. 474. Qui autem cives in civitate parent, hi cum remigibus haud inepte comparantur: uti in Agam. v. 1590. Aegisthus ad chorum, i. e. ad Argivos: *σὺ ταῦτα φωνεῖς νεοτέρω προσημένος κόπη, κρατούντων τῶν ἐπὶ ζυγῷ δορός;* Respublica ipsa haud illepide navis imagine declaratur, Aj. 1080. *ὅπου ὑβρίζειν παρῆ, ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ ποτὲ ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν ἐς βυθὸν πεσεῖν.* cfr. O. T. 22. Ant. 163. Sept. c. Theb. 739. 776.

Harum quas attulimus comparationum a rebus nauticis petitarum numerus non dubitaverim, quin aliis multis, quae non tam me praeterierunt quam esse faciliores et leviores ratus sum, augeri possit. Attamen illud satis luculentum esse ducimus, mari et navigationi quum Graecorum tum maxime Atheniensium animos quasi addictos fuisse. Quod si juste respicimus, multas res Graecorum rectius et melius intellegemus. Uti si quae natura gentium maritimarum sit, nobiscum reputabimus, certe melius cognoscemus — liceat enim exemplo uti mihi prompto, quo, quamvis minutum sit, tamen quid mihi velim paucis facile demonstratur — quo laeto animorum impetu illa decem milia militum cum Xenophonte, quum primum multas et ignotas barbarorum terras summis cum periculis pervagati post longum temporis spatium tandem mare conspexerunt, quam igitur laetis animis illud *θάλασσα, θάλασσα* conclamaverint.

Minus uber est copia metaphorarum ex rebus venaticis desumptarum. Atque quum hae translationes et satis perspicuae essent neque a nostro sermone abhorrent, satis esse censuimus, paucos quosdam attulisse, quibus venationis imago optima et splendida esse videretur. Ac primo quidem digna est illa comparatio quae laudetur, quam Aeschylus quum totam per Orestiam, tum maxime in Eumenidibus ad Furias adhibet. Hae Orestem quasi venatrices bestiam feram insectari dicuntur, quum vestigiis guttarum sanguinearum, quas Orestem manibus caede matris respersis in via reliquisse Aeschylus fingit,

12) cf. Schol. ad Arist. Vesp. 59. *ἀεὶ οἱ ποιηταὶ τὰς πόλεις πλοίοις παραβάλλουσι, καὶ Σοφοκλῆς.*

summo studio ingrediantur. Cujus imaginis simillima est in primis Ajacis Sophoclei versibus, ubi Ulixes *κυνὸς Αἰακίηνος* instar Ajacis tentorium clam petit et explorat. Tum venationis metaphoram tragicos, uti saepissime lyricos, ad res amatorias adhibuisse pauca fragmenta demonstrant; cf. Hesych. s. v. *ἀγροδίσιος*. Verbum *θηρᾶν* haud raro cum infinitivo conjunctum in sententiam verbi appetendi vel captandi dicitur. Hel. 62. *παῖς ὁ τοῦ τεθνηκότος θηρᾶ γαμεῖν με*. Hel. 545. *λαβεῖν με θηρᾶται*. Atque hic quidem apte etiam de canum similitudinibus et comparationibus disputare posse nobis videmur. Quarum imprimis quatuor sunt rationes. Primum enim comparationes sumuntur ex cane venatica, uti Furiae ab Aeschylō (Choeph. 924. 1054) canes vocantur. Easdem intellegendas esse multi volunt etiam in Soph. El. 1388, sed rectissime G. Hermanus hic Pyladen et Oresten indicari statuit. Altera similitudo ex ea ducta est, quod canes hominum quasi quidam comites et satellites sunt. Fuit enim moris apud priscos Graecos, ut qui opibus et auctoritate inter ceteros excellerent, hi uno vel duobis canibus stipati in publicum prodirent.<sup>13)</sup> Inde aquila Jovis canis vocatur: Ag. 130. Soph. frg. incert. 766 D. Sed Ruhnkenio, quum in ep. cr. p. 93. eadem ratione etiam Sphinga in O. T. 391. canem esse nominatam velit, quippe quae deorum ministra quaedam fuisse perhibita sit, assentiri nequeo, quoniam haec explicatio justo artificiosior est. Equidem Jovis aquilam, Eumenides, Harpyias, Sphinga antiquitus quidem inde canis nomen traxisse putaverim, quod dirissimum quodque monstrum hoc nomine appellare solebant, id quod Graecorum ille triceps Cerberus multaeque fabulae nostrae gentis demonstrant, quae non tam nostrae sunt, quam omnium Indogermanorum, in quibus monstruosa quaeque bellua fere ita describitur, ut magni cujusdam canis figuram recipiat. Ipsum Mercurium antiquissimis temporibus putatum esse mythologi verissime et rectissime docent canis naturam habere et formam.<sup>14)</sup> Postea autem poetae hoc nomen ita in suum usum receperunt, ut cum eo imaginem aut venationis aut fidei canum conjungerent. Ita factum est, ut Furiae ita describerentur, ut canes venaticae essent, fabulosus autem ille gryphus fieret Jovis satelles. Sed in Harpyiis et in Sphinge quum utraque comparandi ratione quasi destituti essent, antiqua significatio monstruosi relicta est. Cum monstris autem facillime conjungitur periculosi et pestiferi notio. Quae accipienda esse in Odyss. λ. 427 videtur, ubi Clytaemnestra quum marito mortem paraverit, canis nominatur. Unde etiam factum esse existimo, ut Sirius nomen canis acciperet. Neque a tragicis haec canis imago abest: Aeschylus in Choeph. 446 Electram querentem facit.

13) cf. Odyss. β. 11.

14) *Ἐρμῆς* enim nomen duxit a sanser. rad. sar, unde sarama, i. e. *ἔρμη*, derivatum est, ita ut *Ἐρμῆς* sit *ἔρμηος νόος*. cf. A. Kuhn. in Hauptii annal. VI p. 117—134.

quantis contumeliis se Aegisthus affecerit: *μυχοῦ δ' ἄφερκτος πολυσινοῦς κυνός δίκαν* i. e. quasi essem homo perniciosus et capitalis, *ετοιμότερα γέλωτος ἀνέφερον λίβη, χέουσα πολύδακρυον γόον κεκρυμμένον*. Quem locum quidam, uti Donnerus, haud recte ita interpretari videntur, ut canis imago in se habeat notionem contemptus, cui interpretationi quod *πολυσινοῦς* additum est meo quidem iudicio repugnat. Tertium est id genus metaphorarum, quod ad mores canum pertinet. Quum enim in cane, uti saepius in hominibus quibusdam, et procacitas et humilitas miro quodam modo mixtae inveniantur, ex hac duplici perversitate morum fit, ut canis imago trahatur ad illustrandam protervitatem et humilitatem. Protervitas canis maxime respicitur, quum apud Homerum Iris ad Minervam haec dicit: *ἀλλὰ σὺ γ', αἰνοιάτη, κύον ἀδδεδές, εἰ ἐτσόν γε Τολμήσεις Αἰός ἄντα πελώριον ἔγχος ἀεῖραι*. Apud tragicos haec notio imprimis in verbo *ὕλακίω*, quod proprie de cane dicitur, inest. Maxime autem haec similitudo in eos cadit, qui decorum neglegunt. Quam quidem similitudinem Graecis eo aptiorem esse visam veri simillimum est, quod omnium bestiarum libidinosissimas habebant canes. Jam igitur Homerus Helenam appellat canem et Aeschylus (Suppl. 759) Aegypti filios *κυνοθρασεῖς*. Sed humilitatem et adulationem in verbis *σαίνειν* et *προσκυνεῖν* inesse notum est.<sup>15)</sup> Omnes locos quibus illa verba dicta sunt, hic percensere et longum est neque operae esse pretium videtur. Hoc moneo, verbum *σαίνειν* maxime de spe et de illecebris dictum esse. Choeph. 193. *σαίνομαι ὑπ' ἐλπίδος*. Soph. frg. Teucr. 516. *Δ. ἦ δ' ἄρ' ἐν σκότιφ λαθοῦσά με ἔσαν Ἐρινὸς ἡδοναῖς ἐψεισμένον*. Ex qua adulandi consuetudine, quae canum propria est, ille usus esse profectus videtur, quo imago canis ad id illustrandum adhibetur, quod contemnitur et despicitur. Uti Olixes in Odyssea secum loquitur: *τέτλαθι δὴ, κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔιλης*. Quarta denique ratio metaphorae hausta est ex vigilantia canum, qui dominum domumque summo studio custodiunt Ag. 870. *λέγοιμ' ἂν ἄνδρα τόνδε βουσιάθμων κύνα, σωτήρα ναὸς πρότονον, ὑψηλῆς στεγῆς στῖλον ποδήρη*.<sup>16)</sup>

Quoniam igitur de tribus iis metaphorarum generibus disputavimus, quorum tragici Graeci studiosissimi erant, quam primum potero, etiam eas translationes tragicorum percensebo, quae quum ex necessitate quadam notionum ipsarum et nativa quadam rerum similitudine profectae sint, omnibus fere linguis communes sunt. Etenim nobis in animo est, has tres res accuratius et acrius inspicere: unam, quae sentiendi vocabula inter se perfundantur imaginesque inter se mutantur, alteram, qui tropi a corporum rerumque forma petiti sint, tertiam, quae translationes sint in Graecis colorum.

15) Verbum *προσκυνεῖν* etiam in bonam partem dictum invenitur uti tragici dicebant; *προσκυνεῖν θεούς*.

16) Huc pertinet etiam id, quod Romanorum Lares praestites pellibus caninis induti erant. cf. Preller, *Röm. Mythol.* p. 496.

